

ANDREAS DV DIT I. V S
I O A N N I C R A T O N I s.



Væris, vir clarissime, quid de Cometarum significatione sentiam. Inuidiosa magis, quā difficilis responsio est, in tanta opinionum varietate: quibus docti homines in diuersas partes distrahuntur. Huc accedit, quod si quis non leuibus rationibus, et, quę rationes, in rebus præsertim particularibus sensu atq; obseruatione constantibus, superat, experientia adductus, à communi populariç; opinione sibi discedendum censet, is à superstitionis hominibus, aut saltem plus æquo ob causarum ignorantem meticulosis, in horrendū, grauissimumq; crimen impietatis vocatur. quorum videtur supersticio veteri illi Romanæ similis, quæ Cometen, in Deorum numerum relatum, in templo Romæ coluit. Quare equidem tacere constitueram, & tuam potius sententiam exquirere: ad quam meam adiungerem. nō enim parū mihi cognita est pietas, atq; in omni doctrina ingenij, iudicijq; tui præstantia. Sed quoniam iterū abs te vrgeor, ab alijs etiam sæpius, dicendū est aliquid, vt facilius sententia tua eliciatur. Etsi non sum nescius, quām variæ, quām pugnantes de Cometiis veterū Philosophorum sententiæ fuerint, vt nondum ex abdita illa naturæ obscuritate plane euolui eius vis, ac natura potuerit, nos tamen communem, quæ eadem Aristotelis quoq; fuit, & qui eum magistrum sequuntur, opinionem, hoc loco, retinuimus. quam nihilominus, vt non per omnia sibi exquisite constare putem, haud leuibus coniecturis impellor. & sane hæc tota de Meteoris disputatio, si qua in Physicis alia non satis habet firmitatis.

T Quod